



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

26 Irregularis fit indispensabilis percutiens ense in capite etiam citra intentionem occidendi, morte secuta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

DECISIO XXXVI

Ex conf. 27. alias 27. x3

25 **M**andans alicui, vt alicquem baculo percussit t cetera mor- tem, ea secuta est irregularis ex homicidio; non tamen irregularitate indispensabili, vt colligitur ex Conc. Trident. sess. 14. c. 7. de refor. & Nauar. in Manu. c. 27. nu. 140.

DECISIO XXXVII

Ex conf. 28. deest in Nouis.

26 **P**ercutens leniter ense in capite, etiam sine intentione occidendi, morte secuta, irregularis ex homicidio voluntario indispensabili efficitur, saltem in foro exteriori; ita Concil. Trident. sess. 14. c. 7. de ref. & vix excusari potest etiam in foro interiori.

DECISIO XXXVIII

Ex conf. 29. 30. alias 21. 34.

27 **P**ublicans alicuius delictum, in quo publicando peccat, & alter ob eius dictum comprehenditur, & occiditur, irregularis est. Argum. c. presbyterum. de homic. & ait Nauar. in Man. c. 15. nu. 6. & c. 27. num. 214 & 219. cum ex omni homicidio illicito, quod sequitur ex actu illicito sua natura, lege, vel consuetudine, circumstantijs consideratis, expressè, vel virtualiter ad illud directo, irregularitas contrahatur.

DECISIO XXXIX

Ex conf. 31. alias 28.

28 **R**omittens defendere alium, qui se baculo vindicare intendens iniuriantem occidit, irregularis efficitur irregularitate illaque, quae casualis, & dispensabilis est, non autem illa, quae ex homicidio voluntario, & indispensabili nascitur, vt ait Nauar. in Man. c. 27. num. 219. & 239.

DECISIO XL

Ex conf. 32. alias 24.

29 **B**ono animo ense euaginatam in manu tenens sine vl- la alia laesione, si alias in rixa percussus a fratre suo gra- uiter, ex illa percussione postea motus irregularis non est in foro interiori, aut exteriori; ex Nauar. in Man. c. 27. nu. 230 cum ipse nec alium occidit, nec fratrem suum occidentem iuuu nec, vt occideret, mandauit, consuluit, aut causa proxi- ma eum occidendi, aut percutiendi fuit.

DECISIO XLI

Ex conf. 33. alias 32.

30 **O**ccidens inuasorem, etiam cum moderamine inculpa- tae tutelae, irregularis est, si inuasio eius ex actu illicito ip- sius inuasii precedente procedat; ita Nauar. in Man. ca. 15. nu. 7. cum ad irregularitatem vitandam non satis sit, quod occi- dens inculpatae tutelae moderamen seruet eo tempore, quo inuasus occidit, si ipsemet inuasione causa extiterit.

DECISIO XLII

Ex conf. 34. alias 39.

31 **H**abens potestatem dispensandi super omni irregulari- tate, excepta illa, quae ex Bigamia, vel homicidio volun- tario nascitur; super irregularitate contracta ex homicidio iusto, voluntarie facta in bello iusto, cum armis, vel in pace condemnando iuste aliquem ad mortem; vel iustam con- demnationem exequendo, vel proximum defendendo, vel quouis alio iusto modo, dispensare non potest, ex Nauar. in Man. c. 27. num. 217. & 240. vnde nec in huiusmodi dispen- sare valet Episcopus; cum per Concilium Tridentinum, sess. 24. c. 6. de refor. illis tantum data sit dispensandi potestas super irregularitate ex delicto occulto deicententis, qualis non est illa, quae ex homicidio iusto prouenit.

DECISIO XXXII

Ex conf. 35. alias 44.

32 **I**udex, qui postquam hominem ad mortem damnauit, & post sententiae executionem non aduertens se irregularem esse primam tonsuram accipit, peccat cum id scire teneatur, & dispensatione indiget, vt praedicti ordinis priuilegijs gau- deat, aut alios ordines suscipiat, cum sit irregularis; Primam tamen tonsuram sumendo, excommunicationem, suspen- sionem, aut aliam irregularitatem non incurrit. Argum. ca. vel non est. de temp. ord. quamuis ratione praefatae irregula- ritatis ad pensionis, & beneficia etiam simplicia sit inhabi- lis; donec dispensationem a Papa obtineat; vnde beneficia, vel pensiones post irregularitatem talem, non habita dispen- satione, obtentas relinquere tenetur, antea tamen quaesitas per illam non perdit, ita Innoc. in c. c. non sitis. de concess. preb.

DECISIO XXXIII

Ex conf. 36. alias 11.

33 **P**resbyter iniurijs, & malis ab alio affectus, apparitores ad eum insequendum, & custodiendum hortans, & ro- gans, si alter, ne in potestatem apparitorum veniat, mortem ipse sibi infert, irregularis non est, cap. Significasti. 2. de homi- cid. cum presbyter ille huius mortis nullo modo causa sit, nisi valde remota, & insufficientis quae irregularitatem non parit; Glo. in cap. de cetero. tit. cod. praesertim cum hic, ne- que illum occiderit, neque consuluit, neque mandauit, nec alicui alteri, qui eum occideret, opem attulerit, & irregula- ritas propter homicidium non contrahitur nisi ab eo, qui aliquid horum fecerit, cap. sententiam. Nec clerici, vel mon- nachi, sed praeterea actus, quos presbyter fecit, liciti erant; quamuis enim illicitum sit petere, vt reus criminaliter puniatur, illicitum tamen non est presbytero malefactorem suum insequi, nec procurare, vt capiatur; cap. significasti. 2. de homicid. immo nec indicare iudici esse sibi paratas in fi- dias; cap. de occidendis, 23. q. 5. ca. Maximinianus, 23. q. 3. & proinde nulla de causa talis presbyter irregularis est censen- dus.

DECISIO XXXIV

Ex conf. 37. alias 18.

34 **T**estis, cuius dictum non est causa sententiae mortis alte- rius, aut accelerationis eiusdem, irregularitatem non incurrit; secus autem si propter eius testimonium suspen- sas quis sit, aut saltem citius, quam alias fuisset, ita Nauar. in Man. cap. 27. num. 211.

DECISIO XXXV

Ex conf. 38. alias 16.

35 **E**piscopus iurisdictionem criminalem habens, & secre- tario suo iubens, vt deserat literas quasdam, quas ipse ad quandam commissarium scripsit, in quibus: ipsi commis- sario iubetur, vt sententia mortis, quam contra quemdam tulerat, mane diei sequentis executioni mandaretur, secuta morte, tam ipse Episcopus, quam eius Secretarius sunt irregu- lares, ita Ioan. And. in c. episcopus ne clericus, vel monachus, in 6. & ca. praelatis. de homic. in 6. cum aliud sit committere generaliter iurisdictionem criminalem, quod sine irregula- ritate fieri potest; aliud dicere commissario, qui iam reum morti condemnauit, vt eum occidat, quod sine irregulari- tate fieri nequit. Sicut clerico hortari licet milites praebatu- ros generaliter ad victoriam consequendam; c. 3. q. 8. non tamen licet hortari vnum, vel plures milites specialiter ad occidendum, & maxime illum, vel illum particularem, ita Innoc. in c. pen. de hom. & Nauar. in Man. c. 27. num. 211.

DECISIO XXXVI

Ex conf. 1. in Nouis, deest in antiq.

36 **S**icut nemo seipsum absque peccato mortali occidere po- test, cap. si non licet, 23. q. 2. ita nec absque simili pec- cato consentire quis potest, vt alius eum occidat, quando al- ter ipsum non consentientem non occideret; vnde nec praes- gnaus